GER. JO. VOSSII

ELEMENTA RHETORICA,

ORATORIIS ejusdem PARTITIONIBUS

ACCOMMODATA,

Inque usum SCHOLARUM

Hollandiae & West-frisiae

EMENDATIUS EDITA. 6.

Editio prioribus accuratior & auctior.

BIBLIOTHECA ROTTERDAMENSIS

LONDINI,

Impensis G. INNYS, & R. MANBY, in Area occidentali *D. Pauli*.

MDCCXXXIX.

G. J. VOSSIUS
BENEVOLO LECTORI.

SOlent illi, qui aliis ad terrarum ſitum praeeunt viam, initio tabella quapiam ob oculos ponere principes orbis partes, & celebriores aliquot nationes. Qualis opera, utcunque levis & frivola videatur, voluptatem nihilominus ſuam habet, nec fructus eam penitus expertem. Nam ſive hic ſiſtere libeat; quis non videt ſatius omnino eſſe, ut rei tam excellentis guſtus aliquis habeatur, quam ut ea penitus neſciatur? ſive animus magis ad exactam univerſi notitiam adſpiret; quid apertius eſt, quam non poſſe eo quemquam pervenire, qui non primordia illa antea perceperit? Quod hac de ſcientia expoſui, idem in aliis etiam diſciplinis locum habet. Ea res fecit, ut illorum quos dixi exemplo, &, quod caput eſt, a ſuperioribus juſſus, lineamenta quaedam duxerim artis oratoriae: non quidem quaſi exiſtimarem, praecepta eloquentiae pagellis poſſe paucis comprehendi; ſed ut nobiliſſimae facultatis natura, ac conſtitutio, membrorumque omnium compages, uno quaſi intuitu cerneretur; atque ut tirunculi hic haberent elementa aliqua, per quae, velut gradibus quibuſdam, ad altiora & magis recondita facilius perducerentur. Utrumque horum cum propoſitum mihi nunc foret, troporum

quidem & potiſſimorum ſchematum doctrinam quomodocunque ad pueritiae captum expreſſi; reliquae vero artis tantum ſumma carpere faſtigia viſum fuit. Nec moveat, ſi in tanta brevitate jejuna hic omnia, planeque arida videantur. Nam ſufficere debet, quod ea, quae nunc ſtrictim ac vellicatim attingo, fuſius explicarim in Partitionibus Oratoriis; *quae, ex decreto illuſtrium Hollandiae & Weſt-friſiae Ordinum, ſuperiorum claſſium uſui inſervient. Eo igitur recurrat, qui plenius aliquid, aut planius requiret. Equidem, ut iſta etiam parte allevarem laborem alienum, ad oram libelli hujus appoſui, quibus* Partitionum *locis ſingula hic reſponderent. Conferre etiam cum iſtis licebit, quae ante annos multos* ſex Inſtitutionum libris *non incurioſe, ut arbitror, de hac ipſa arte prodebam; in* elocutione *imprimis, ubi, quae de* tropis & ſchematibus *hic dicimus, tanta exemplorum copia illuſtrantur, ut, ſi quis iſtis contentus non fuerit, plane verendum ſit, ne quicquam ei ſatis eſſe poſſit. Lugd. Bat.* cIↃ. IↃc. xxvi. *Kal. Sept.*

Elementa



Elementa Rhetorica,

IMPRIMIS DOCTRINAE

DE

TROPIS & FIGURIS.

RHETORICE, quæ Latinis *oratoria* dicitur, nomen habet a ῥέω, id eſt, *dico*. Quia ut grammatice monſtrat viam bene ſive pure loquendi; ita rhetorice docet bene dicere, ſive prudenter, copioſe, ornateque loqui. Part. Orat. Lib. 1. cap. 1. § 1.

Definitur rhetorice, facultas videndi in unaquaque re, quod in ea eſt ad perſuadendum idoneum. § 3.

Ita-

§ 4, 5, 6. Itaque finis oratoris ultimus est persuadere; officium est videre, quid ad persuadendum conducat, sive dicere ad persuadendum accommodate; materia est unaquaeque res, sed imprimis quaestio civilis.

§ 6. QUAESTIO ea vel thesis est, vel hypothesis.

THESIS est quaestio infinita, sive universalis: ut, *An liceat insidiatorem interficere.*

HYPOTHESIS est quaestio finita, sive singularis: ut, *An jure Milo interfecerit Clodium.*

§ 8. Officii oratoris partes sunt quatuor; argumenta invenire, inventa disponere, dispositа exornare, & exornata pronunciare.

Ac pro his totidem sunt PARTES rhetorices; inventio, dispositio, elocutio, & pronunciatio.

De INVENTIONE.

Cap. 2. § 1. INVENTIO est excogitatio argumentorum, quae ad persuadendum idonea sunt.

AR-

ARGUMENTA ſunt triplicia; rationes, mores, & affectus. § 5.

Ex his rationes ad docendum, mores ad conciliandum, affectus ad permovendum valent.

Argumenta primi generis [h. e. RATIONES] vel artificialia ſunt, vel inartificialia.

Artificialia dicuntur, quæ ab oratore artis beneficio inveniuntur.

Ea variant pro generibus ὑποθέσεων, quas Latini *cauſas* vocant.

CAUSARUM genera ſunt tria; demonſtrativum, deliberativum, & judiciale. Cap. 3. § 1.

DEMONSTRATIVUM eſt, quo laudamus, aut vituperamus. § 2.

Ac praecipue reſpicit tempus praeſens.

Laus, ac vituperatio omnis, vel perſonae eſt, vel facti, vel rei. Cap. 4. § 3.

Perſonae: ut, *Si laudes Ciceronem, vituperes Antonium.*

Facti: ut, *Si laudes voluntarium M. Reguli ad hoſtes ſuos reditum*; aut, *Si vituperes in Catone Uticenſi, quod manus ſibi intulerit, ne in poteſtatem Caeſaris veniret.* Rei:

Rei: ut, *Si laudes eloquentiam, vel agriculturam*; aut, *Vituperes vitium animi ingrati.*

Argumenta in hoc genere praecipue petuntur ab honesto, ac turpi.

Cap. 3. § 2. & imprimis cap. 5. Genus DELIBERATIVUM est, quo suademus, vel dissuademus: ut, *Si suadeas pacem, vel inducias*; *dissuadeas bellum*: vel *contra.*

Est deliberatio omnis de futuris.

Ac praecipue in ea consideratur, ecquid utile sit, an inutile.

Cap. 3. § 2. Genus JURIDICIALE est, quo accusamus, vel defendimus: quomodo, *Milo, interempto Clodio, ab amicis Clodii est accusatus*; *a Cicerone vero defensus.*

Versatur hoc genus circa praeterita.

Cap. 6. § 1. Variant autem argumenta pro statuum diversitate.

§ 2. STATUS est quaestio ex prima causarum conflictione proveniens.

Ac in genere juridiciali nascitur ex prima accusatoris intentione, & defensoris depulsione. Ita, *Accusabatur Milo, quod Clodium occidisset*; *Milo*

Milo interemptum fatebatur, ſed jure occiſum aiebat. Status igitur fuit, *Jurene, an injuria, Clodium interemerit Milo.*

Status eſt quadruplex; conjecturalis, finitivus, qualitatis, & quantitatis. Cap. 6. § 6.

CONJECTURALIS eſt, quo quaeritur, ecquid factum ſit, necne: ut, *An Sextus Roſcius occiderit patrem ſuum.* § 7.

FINITIVUS eſt, quo de nomine rei quæritur: ut, *Abſtuli quidem, ſed furtum non commiſi.* § 8.

Ubi furtum erit definiendum. Atque ita in aliis.

QUALITATIS eſt, quo quaeritur, quale ſit factum: ut, *Occidit quidem Clodium Milo, ſed jure id fecit.* § 9.

Ubi legibus probandum erit, quid jure, quidve injuria fiat.

QUANTITATIS ſtatus eſt, quo de magnitudine rei diſceptatio eſt: ut, *Si conſtet eſſe crimen, ſed negetur grave eſſe crimen.* § 10.

Ubi amplificatio, & imminutio facti imprimis attenditur. Videndum igitur,

gitur, quid magnum, aut exiguum oporteat censere.

Cap. 2. § 10, 11. In singulis autem causarum ac statuum generibus locum habet τὸ δυνατὸν, sive quid fieri possit, aut non possit; item comparatio, sive quid sit honestius, utilius, aut justius.

Cap. 12. Artificialibus argumentis accedunt inartificialia, quae foris delata ab oratore solum arte tractantur: ut imprimis sunt *testimonia*.

Lib. 2. Cap. 1. Sequuntur AFFECTUS, quos Deus animis nostris indidit, ut sint tanquam stimuli ad honestas actiones.

Sunt hi ex Stoicorum sententia quatuor; ratione boni praesentis laetitia, ratione boni futuri spes, ratione mali praesentis dolor, ratione mali futuri metus.

Ad hos autem referuntur, ira, lenitas, pudor, impudentia, amor, odium, indignatio, invidia, misericordia, & aemulatio.

Cap. 2. ad 14. In quorum singulis attendere imprimis oportet, & quomodo affectus is moveatur, & quomodo sedetur.

Supersunt

Superſunt MORES, qui hic ſpectantur, quatenus ex oratione dicentis elucent. Cap. 15.

Quo morata ſit oratio, ante omnia id agendum eſt oratori, ut in ea reluceant prudentia, probitas, & benevolentia. Nam facile iis credimus, qui & rem intelligunt, & bene nobis cupiunt.

Praeterea illi videndum eſt, & apud quos dicat, & de quibus dicat. Variant enim mores hominum tum pro natura gentis, ac reipublicae; tum etiam in ſingulis pro ratione affectuum, habituum, aetatis, ac fortunae.

Hactenus de inventione.

De DISPOSITIONE.

SEquitur DISPOSITIO, quae eſt partium orationis idonea ad perſuadendum collocatio. Lib. 3. Cap. 1.

PARTES orationis ſunt exordium, narratio, propoſitio, confirmatio, confutatio, peroratio.

* Unde vulgaris verſiculus: *Exorſus narro, ſeco, firmo, refuto, peroro.*

* Quarum prima & ultima imprimis ad animos movendos, caeterae magis ad docendum valent.

† Cap. 2, 3, 4.

† EXORDII praecipuum munus eſt praeparare auditorem ad reliquam dictionem.

Quod fit reddendo eum benevolum, attentum, & docilem.

Quando apertè hoc agimus, principium dicitur; ſin idem occultè fiat, vocatur inſinuatio.

Laudantur exordia ex cauſa ipſa velut nata, item modeſta, ac verecunda.

Cavenda autem ſunt ea, quae nimis longe petita, item communia nobis & adverſario, vel facile commutabilia, vel nimis magnifica.

Cap. 5.

NARRATIO rem geſtam, ut geſta eſt, a principio uſque ad finem exponit.

Ea interdum tota continuatur; interdum partes ejus ſingulatim explicantur, & amplificantur.

Narratio eſto perſpicua, ut intelligatur; veriſimilis, ut credatur; ſuavis, ut libenter audiatur; eſto & brevis,

brevis, quia taedio erit, si ulterius producatur, quam opus est.

PROPOSITIO summam totius orationis proponit. Quae, si orationem in partes dividat, partitio appellatur. Cap. 6.

Partitio cum perspicua, tum etiam brevis esse debet; hoc est, non major quam trium, vel ad summum quatuor partium.

Contentio, quam Aristoteles πίστιν appellat, continet confirmationem, & confutationem.

CONFIRMATIO argumentando causam nostram adstruit. Cap. 7.

CONFUTATIO diluit argumenta adversarii. Cap. 8.

Epilogus, sive PERORATIO, est totius orationis clausula. Cap. 9.

Duplex autem ejus munus est; prius est enumeratio potissimorum argumentorum, alterum commotio affectuum.

Nunc ad elocutionem veniamus.

De

De ELOCUTIONE.

Lib. 4. Cap. 1. ELOCUTIO alia philoſophi eſt, alia oratoria, alia hiſtorica, alia poëtica.

Elocutio oratoria eſt rerum inventarum, & diſpoſitarum, per verba, ſententiaſque expoſitio ad perſuadendum idonea.

Elocutionis praecepta vel generalia ſunt; vel ad hanc, illamve materiam, ac characterem reſtricta.

§ 6. Elocutio COMMUNIS dividitur in elegantiam, dignitatem, & compoſitionem.

ELEGANTIA efficit ut unumquodque tum pure, tum perſpicue dicatur.

Ad purum ſermonem opus eſt delectu verborum.

Vitanda igitur verba barbara. Nec indulgendum antiquatis, aut inuſitatis. Sordida etiam & obſcoena honeſtis verbis circumloqui oportet.

Cap. 2. Perſpicuitati inter alia repugnat ſermo ambiguus, nimia brevitas, & ordo verborum perturbatus.

DIG-

DIGNITAS ſuppeditat orationi pi- Cap. 3.
ćturas, ſive verborum ſententiarumque lumina; quae rhetores vocant tropos, & figuras.

De TROPIS.

TROPUS eſt vocis a propria ſigni- § 4.
ficatione in aliam cum virtute immutatio.

Fit autem inverſio ſignificationis quadrifariam, ac pro eo quatuor etiam ſunt tropi primarii; metaphora, metonymia, ſynecdoche, & ironia.

METAPHORA, ſive tranſlatio, eſt Cap. 4.
tropus, quo verbum a propria ſignificatione in alienam transfertur ob ſimilitudinem.

Itaque tria hic ſpectantur; ſignificatio propria, aliena, & ſimilitudo. Ita *ſcrupulus* proprie dicitur *lapillus in calceos viatorum incidens*; improprie ita vocatur *ſolicitudo*, ac *dubitatio*; ſimilitudo in eo conſiſtit, quod ut lapillus ille pedibus, ita ſolicitudo animo moleſtiam parit.

Nullus

Nullus autem tropus plus luminis adfert orationi, imprimis ſi ad ſenſus ipſos admoveatur, maxime oculorum, qui ſenſus eſt acerrimus: ut, *Splendor verborum*, *ſtudia florent*, *videre* pro *intelligere*, & ſimilia.

Cap. 5. METONYMIA eſt tropus, quo cauſa externa ponitur pro effectu, vel ſubjectum pro adjuncto, vel antecedens pro conſequente; aut contra.

Itaque ſex in univerſum ſunt metonymiae ſpecies, ſeu modi.

Primus ponit pro effectu cauſſam externam, eamque vel efficientem: ut *Mars* pro *praelio*, *Livius* pro *ſcriptis Livii*, *lingua* pro *ſermone*, *manus* pro *ſcriptura*: vel finalem: ut, *Statuere exemplum*, h. e. *infligere poenam*, *quae caeteris ſit documento*; ſic Virg. Aen. 1. 53. *Aut ſupplex aris imponat honorem*, h. e. *victimam*.

Alter modus eſt effecti pro cauſſa externa, eaque vel efficiente: ut, *Pallida mors*, quia *pallentes facit*; *ira caeca*, quia *homines efficit caecos*:

cos: vel finali: ut, *Serta mihi Phyllis legeret*, pro *floribus*, Virgil. Ecl. x. 41.*

Tertius eſt ſubjecti pro adjuncto. Quo refer, cum ponitur continens pro contento: ut, *Roma* pro *Romanis*, *patera* pro *vino*. Item cum poſſeſſor ſumitur pro re poſſeſſa: ut, Ter. Heaut. iii. 1. 53. *Quid te futurum cenſes, quem aſſidue exedent?* id eſt, *cujus opes conſument?* Virg. Aen. xii. 311. *Jam proximus ardet Ucalegon*, id eſt, *domus Ucalegontis*. Item dux pro militibus: ut, *Caeſar* pro *exercitu*. Aut patronus pro cliente: ut, *Nego me reſtitutum*, h. e. *clientem meum*. Item ſignatum pro ſigno: ut, *Jupiter* pro *Jovis ſtatua*, *Orpheus* pro *Orpheo picto* aut *caelato*.

Quartus modus eſt adjuncti pro ſubjecto. Velut cum contento utimur pro continente: ut, *Vina coronant* pro *pateris*. Aut ſigno pro ſignato: ut, *Faſces & ſecures* pro *imperio conſulari*, *toga* pro *pace*. Huc refer,

* Ubi & ſynecdoche eſt totius eſſentialis pro parte materiali.

refer, cum tempus ponitur pro re, quae eſt in tempore: ut, *Hujus ſeculi inſolentia*, Cic. Philipp. ix. *O tempora! o mores!* Id. in Catil. i. Vulgo & eodem referunt, cum virtutes & vitia uſurpantur pro perſonis ipſis *: ut, *Ars* pro *artifice*, *luxuries* pro *luxurioſo*.

* Sed haec potius eſt ſynecdoche partis eſſentialis, nempe formae pro formato.

Quintus modus eſt, cum antecedens pro conſequente ponitur: ut *Vixerunt* pro *mortui ſunt*, *diſcumbere* pro *caenare*.

Sextus modus eſt conſequentis pro antecedente: ut, *Funus* pro *morte*.

Duo poſtremi modi a quibuſdam metalepſis vocantur.

Cap. 6. SYNECDOCHE eſt, cum totum ſumitur pro parte, aut pars pro toto.

Ea fit ſex modis.

Primus eſt modus, cum genus, quod eſt totum univerſale, ponitur pro ſpecie: ut, *Praedamque ex unguibus ales projecit fluvio*, Virg. Aen. xii. 255. pro *aquila*; ſic, *tollit ſe arrectum quadrupes* pro *equo*, Idem Aen. x. 892.

Alter

Alter modus, cum ſpecies contra uſurpatur pro genere: ut, *Auſter* vel *aquilo* pro *vento quolibet*, *Falernum* pro *quovis vino praeſtanti*, *telum* pro *quibuſvis armis*, *mel Hymettium* pro *quovis melle*, *ſpica Ciliſſa* pro *quovis croco*.

Tertius, cum toto eſſentiali, quod conſtat materia & forma, utimur pro ſola materia aut forma. Sic apud evangeliſtam: *Suſtulerunt Dominum meum, nec ſcio ubi poſuerint eum*, id eſt, *Domini mei Jeſu corpus*, Joann. xx. 13.

Quartus, cum contra pars formalis, aut materialis ponitur pro toto eſſentiali. Ita formae ſynecdoche eſt: *Candida anima* pro *homine candido*: materiae autem: *Aurum*, *argentum*, *aes* pro *pecunia*; *ferrum* pro *gladio*; *avena* aut *arundo* pro *fiſtula ex avena* vel *arundine confecta*; ſic, *gemma bibere*, *dormire oſtro*. Vulgo metonymiam materiae appellant.

Quintus modus, cum totum integrale ſumitur pro parte. Virg.

Aen. i. 477. *Pabula guſtaſſent Trojae, Xanthumque bibiſſent*; ſic, *orbis* pro *imperio Romano.*

Sextus modus, cum contra pars integralis uſurpatur pro toto: ut, *Lepidum* vel *ridiculum caput* pro *homine lepido* aut *ridiculo*; ſic, *puppis* pro *navi*, *mucro* pro *gladio*, *tectum* pro *domo.*

Ad quintum ſextumque modum refer, cum numerus ſingularis ponitur pro plurali, aut pluralis pro ſingulari, aut denique certus pro incerto: ut, *Romanus praelio victor*, Liv. *Pulcra verecundo ſuffundens ora rubore*, hoc eſt, *os* ſive *vultum*, Ovid. Met. i. 484. *Sexcenta licet ejuſmodi proferre*, Cic. ii. De div.

Cap. 7. IRONIA eſt tropus, quo intelligitur contrarium ejus, quod dicitur; unde *illuſio* aliquibus vocatur: ut, *Id populus curat ſcilicet*, Ter. And. i. 2. 14. *Ehodum, bone vir*, Ib. iii. 5. 10. ſic, *Penelope* de *impudica*, *Cato* de *ſtolido.*

Atque hi tropi ſunt primarii.

Tro-

Troporum autem ſpecies ſunt me- Cap. 8.
talepſis, antonomaſia, litotes.

METALEPSIS, Latine *tranſumptio*, vocatur, cum antecedens § 2.
ponitur pro conſequente, aut contra; eſtque ſpecies metonymiae, ut ſuperius dictum eſt. At aliud eſt metalepſis, cum affectio tropi eſt, ut poſtea dicetur.

ANTONOMASIA eſt ſynecdoches § 3.
ſpecies, qua proprium ſumitur pro communi, vel contra.

Prioris modi eſt: *Irus* pro *paupere*, *Therſites* pro *deformi*, *Cato* pro *ſapiente*, *Maecenas* pro *doctorum patrono*.

Alterius modi eſt: *Parens* pro *patre*, *philoſophus* pro *Ariſtotele*, *urbs* pro *Roma*, *poeta* pro *Homero* vel *Virgilio*, *apoſtolus* pro *Paulo*. Huc refer periphraſin non reciprocam: ut, *Trojani belli ſcriptor* pro *Homero*.

LITOTES, quam *extenuationem* § 6.
Latine dixeris, fit, cum minus dicitur, & plus intelligitur; unde ſynec-

necdoche ſubjici poſſe liquet. *Munera nec ſperno*, id eſt, *lubens accipio*, Virg. Aen. vii. 26. *Non laudo*, id eſt, *reprehendo*, Ter. And. ii. 6. 24.

Cap. 9. Affectiones troporum praecipuae ſunt quatuor; metalepſis, allegoria, catachreſis, hyperbole.

§ 2. METALEPSIS eſt tropus multiplex in voce una, ſive cum gradatim ex una ſignificatione proceditur in alienam: ut, *Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas*, Virg. Ecl. i. 70. *ariſtas* pro *ſpica*, *ſpica* pro *meſſe*, *meſſis* pro *anno*, eoque & *ariſtae* pro *anno*.

§ 4. ALLEGORIA eſt tropi in vocibus pluribus continuatio: ut, *Claudite jam rivos, pueri, ſat prata biberunt*, id eſt, *deſinite canere, quia ſatis audivimus*, Id. Ecl. iii. 111. *Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus*, Hor. Art. poet. 139. Ubi de magna expectatione, ſed in ludibrium abeunte, loquitur.

CA-

CATACHRESIS, ſive *abuſio*, § 13.
eſt tropi durities quaedam. Ut cum vox aliqua licentius a propria ſignificatione ad aliam deflectitur: velut, *Gurges* & *vadum* pro *mari*, *breve lilium* pro *non diuturno*, Hor. Carm. i. 36. 16.

Inſtar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, Virg. Aen. ii. 15.

HYPERBOLE, quaſi dicas *ſuperje-* § 16.
ctio, eſt oratio augendo, vel minuendo ſuperans fidem.

Augendo: ut, *Nive candidior*, *melle dulcior*, *ocior euro*. Cic. Philipp. ii. *Vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum*, *& totum tribunal implevit*.

Minuendo: ut, *Teſtudine tardior*, *minus nihilo*.

Ad tropos quoque vulgo, ſed falſo Cap. 10.
referuntur ſex ſpecies irriſionis; ſarcaſmus, diaſyrmus, charientiſmus, aſteiſmus, mycteriſmus, & mimeſis.

SARCASMUS eſt hoſtilis irriſio ſuper jam mortuo, aut certo mo-

morituro: ut, *Ave, rex Judaeorum*, Matth. xxvii. 23. *I, verbis virtutem illude ſuperbis*, Virg. Aen. ix. 634.

DIASYRMUS eſt inimica irriſio, ſed extra caedem: ut, *Aſinus ad lyram*; et, *inter ſtrepit anſer olores*, Virg. Ecl. ix. 36.

CHARIENTISMUS a lepore & gratia nomen accepit, eſtque jocus cum amoenitate mordax. Sic Davus piſtrinum deprecans: *Bona verba quaeſo*, And. i. 2. 33. *Di meliora*. Cic. & Virg.

ASTEISMUS eſt jocus urbanus: ut, *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi*, Virg. Ecl. iii. 90. Nam Bavius malus poeta, & illo deterior Maevius erat.

MYCTERISMUS fit, cum naſo ſuſpenſo quempiam ſubſannamus: μυκτὴρ enim eſt *naſus*.

MIMESIS, Latine *imitatio*, refert aliena verba oratione directa, idque fere ad riſum. Ita Ter. Eun. i. 2. 75.

Haud

Haud ego neſciebam, quorſum tu ires: Parvula
Hinc eſt abrepta; eduxit mater pro ſua;
Soror eſt dicta; cupio abducere, ut reddam ſuis.

Huc etiam referri ſolent, quae ad grammaticen potius quam rhetoricen videntur pertinere: idque vel ad etymologiam, ut onomatopoeia & antiphraſis; vel ad ſyntaxin, ut hypallage. § 9.

ONOMATOPOEIA nihil aliud eſt, quam nominis fictio a ſono: ut, *Balare, grunnire, boare, hinnire.*

ANTIPHRASIS eſt vox a contrario dicta. Ita vulgo aiunt * *bellum* vocari, quod *minime ſit bellum*; *Parcas*, quod *minime parcant*; *lucum*, quod *minime luceat.*

* Quid de tota hac re ſtatuere oporteat, abunde exponimus in Oratoriis Inſtitut. lib. 4. cap. 13. § 11.

HYPALLAGE eſt, cum rerum ordo invertitur: ut apud Cic. pro Marcell. *Gladium vagina vacuum in urbe non vidimus*, pro, *vaginam gladio vacuam*; ſic, *Brutium ponto feriente corum*, id eſt, *coro*

Brutium pontum feriente, Senec. in Thyeſte, 578.

De FIGURIS.

ALTERA dignitatis oratoriæ pars in figuris verſatur, quae Graecis *ſchemata* dicuntur.

Cap. II. § 1. FIGURA autem eſt forma orationis, qua haec alio quopiam modo, quam inverſione ſignificationis, a vulgari conſuetudine immutatur in meliorem.

§ 2. Figurae ſunt duplices; verborum, & ſententiarum.

§ 3. Inter eas hoc intereſt, quod priores tolluntur, ſi aut verba mutentur, aut ordo eorum invertatur; at poſteriores, quibuſcunque utaris verbis, aut quocunque ea ordine ponantur, permanent.

§ 4. VERBORUM figurae ſunt triplices; quaedam conſiſtunt in ſubticentia ſive defectu, quaedam in exceſſu, quaedam in reliquo corpore orationis.

§ 5. Subticentia figurant aſyndeton & ellipſis.

ASYNDETON copulae eſt defectus: ut, Virg. Aen. iv. 594. *Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.*

ELLIPSIS vero eſt alius partis, aut particulae defectus: ut, Aen. i. 373. *Sed vos qui tandem?* ubi omittitur *eſtis.*

Exceſſu figurant orationem poly- § 9.
ſyndeton & pleonaſmus.

POLYSYNDETON eſt abundantia copulae. Cic. in Epiſt. *Me prae caeteris, & colit, & obſervat, & diligit.*

PLEONASMUS eſt alius partis, aut particulae abundantia: ut Virg. Aen. iv. 359. *Vocemque his auribus hauſi.*

Figurae, quae in reliquo fiunt corpore orationis, vel eandem ponunt vocem, vel ſimiles.

Figurae, quibus eadem vox repeti- Cap. 12.
tur.

ANTANACLASIS dicitur, § 1.
cum uſurpatur vox eadem appellatione, non ſignificatione: ut, *Cur eam rem tam ſtudioſe curas, quae*

multas tibi dabit curas? Cornific. Lib. iv. *Amari jucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari,* Ib.

Huc pertinet PLOCE, cum vox uno loco perſonam, aut rem; altero mores, aliamve qualitatem ſignificat: ut, *Ad illum diem Memmius erat Memmius,* id eſt, *ſui ſimilis,* Aquila Roman. *Simia eſt ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia,* Lucian. Orat. contra ineruditum.

SYNONYMIA, cum verba idem ſignificantia conjunguntur. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit,* Cic. Cat. ii. *Promitto, recipioque, ſpondeoque,* Philipp. iv.

EXERGASIA eſt congregatio ſententiarum idem ſignificantium; ut Cic. pro Ligar. *Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

ANA-

ANAPHORA eſt repetitio ejuſdem vocis in principio: ut Virg. Georg. iv. 446.

Te, dulcis conjux, te ſolo in littore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat.

EPIPHORA, ſive EPISTROPHE, eſt repetitio ejuſdem vocis in clauſulis: ut, *Poenos populus Rom. juſtitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit,* Cornif. Lib. iv.

Quod ſi anaphora & epiphora concurrant, SYMPLOCE vocatur. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis praefuit? Idem Rullus.* Cic. de Leg. agr. II.

EPANALEPSIS eſt repetitio ejuſdem vocis in initio praecedentis, & fine ſequentis ſententiae: ut Ovid. Faſt. iv. 365.

Qui bibit inde, furit: procul hinc diſcedite, queis eſt
Cura bonae mentis: qui bibit inde, furit.

ANA-

ANADIPLOSIS eſt repetitio in fine praecedentis, & initio ſequentis ſententiae: ut,

Ecce Dionei proceſſit Caeſaris aſtrum;
Aſtrum, quo ſegetes gauderent,
Virg. Ecl. ix. 47.

EPANODOS eſt, cum, quae priori erant poſita loco, poſteriori; &, quae poſteriori, ea priori loco repetimus. Ovid. Heroidum epiſt. ii. 25.

Demophoon ventis & verba, & vela dediſti;
Vela queror reditu, verba carere fide.

EPIZEUXIS eſt, cum vox aliqua repetitur cum vehementia: ut Virg. Ecl. v. 64. *Ipſa ſonant arbuſta, Deus, Deus ille, Menalca.* Cic. Ver. vii. *Crux, crux, inquam, infelici & miſero.*

CLIMAX, ſeu *gradatio*, eodem verbo connectit ſuperiora inferioribus: ut, *Africano induſtria virtutem, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit,* Cornific. Lib. iv.

Po-

POLYPTOTON, cum idem verbum variato repetitur caſu, id eſt, terminatione: ut, Cic. pro Arch. *Sed pleni ſunt omnes libri, plenae ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas.* Virg. Aen. iv. 628.

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis.

Figurae, quae repetunt voces ſimiles.

PAREGMENON conjungit voces, quarum una ab altera derivatur. Ovid. De Ponto ii. 5. 393. Cap. 13.

Tu quoque Pieridum ſtudio ſtudioſe teneris;
Ingenioque faves ingenioſe meo.

PARONOMASIA, ſive *agnominatio*, eſt, cum parva verbi immutatione in aliam plane ſententiam deflectitur oratio: ut, *Nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur*, Sen. Epiſt. xxvii. *Cato*, ut ait Tullius, *cum cuidam dixiſſet, Eamus deambulatum: ait ille, Quid opus eſt* de? *Imo vero, inquit, quid opus eſt* te? De Orat. lib. ii.

HOMOI-

HOMOIOPTOTON, ſive *ſimiliter cadens*, eſt, cum plura iiſdem caſibus efferuntur: ut, *Eſt idem Verres, qui fuit ſemper; ut ad audendum projectus, ſic paratus ad audiendum*, Cic. Verr. iii.

HOMOIOTELEUTON, ſive *ſimiliter deſinens*, eſt cum cola, aut commata eodem ſono terminantur: ut Cic. pro leg. Manil. *Ejus ſemper voluntatibus non modo cives aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint; ſed etiam venti, tempeſtateſque obſecundarint.*

PARECHESIS eſt, cum una, pluresve ſyllabae vocis antecedentis in alia ejuſdem membri repetuntur: ut, *Palla pallorem incutit*, Plaut. Maenech. iv. 2. 46. *O fortunatam natam, me conſule, Romam!* Cic. apud Salluſt. orat. adverſus Cicer.

Cap. 14. SENTENTIARUM figurae aliae ad inventionis, aliae ad diſpoſitionis ornatum adhibentur.

Pri-

Primum videamus de iis, quae ſunt § 2.
inventionis.

PROLEPSIS, ſive *occupatio*, eſt, cum id, quod ab adverſario objicitur, aut objici poſſe putamus, anticipamus, atque diluimus. Partes ejus ſunt duae: ὑποφορὰ, quae objectionem proponit; & ἀνθυποφορὰ, quae objectioni reſpondet. Objectio eſt in illo Didonis apud Maronem, Aen. iv. 603. *Verum anceps pugnae fuerat fortuna.* At ἀνθυποφορὰ eſt: *Fuiſſet. Quem metui moritura?*

Prolepſi ſimilis eſt HYPOBOLE, ſive *ſubjectio*; qua multa, quae pro adverſario dici poſſunt, breviter & minutatim proponuntur; atque ad ſingula breviter item reſpondetur. Cic. pro Planc. *Male judicavit populus, at judicavit; non debuit, at potuit; non fero, at multi clariſſimi & ſapientiſſimi cives tulerunt.*

ANACOINOSIS, ſive *communicatio*, eſt, qua adverſarium conſulimus; aut cum judicibus, quid faciendum

ciendum sit, quidve factum oportuerit, deliberamus: ut Cic. pro Caecin. *Quaero, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati, non modo limine tectoque aedium tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohibuerint; quid acturus sis?*

PAROMOLOGIA, sive *confessio*, est, cum callide omnia adversario permittimus. Cic. pro Ligar. *Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum; sed tamen ita confitentem*, &c.

EPITROPE, sive *concessio*, est cum aliquid largimur adversario, ut reliquum feramus. Virg. Aen. vii. 313.

Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis;
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

Cap. 15. Figurae, quibus ad explicandum, aut exaggerandum utimur.

GNOME,

GNOME, ſive *ſententia*, eſt generale pronunciatum earum rerum, quas in agendo ſequimur, aut fugimus: ut, *Nihil eſt tam populare, quam bonitas.*

NOEMA, ſive *cogitatum*, eſt alluſio ad ſententiam, ſive ſententia perſonae accommodata. Ita Cic. in orat. pro Ligar. gnomen praecedentem Caeſari accommodat: *Nihil habet nec fortuna majus, quam ut poſſis; nec natura tua melius, quam ut ſervare velis quam plurimos.*

MERISMUS, ſive *diſtributio*, eſt, cum totum in ſpecies, aut partes diducimus. Lycurgus apud Rutilium Lupum, Lib. 1. *Cujus omnes corporis partes ad nequitiam ſunt appoſitiſſimae; oculi ad petulantem laſciviam, manus ad rapinam, venter ad aviditatem*, &c.

AETIOLOGIA eſt, cum in narrando facti ratio adjicitur. Eleganter autem fit cum gradatione, ut in illo Ovidii, Faſt. iii. 21. *Mars videt hanc, viſamque cupit, potiturque cupita.* Cap. 16.

Quod si causſa sit magis speciosa, quam vera, COLOR dicitur.

DIATYPOSIS est, cum res ita clare copioseque exponitur, ut coram spectari videatur. Quomodo Cicero in Miloniana describit *apparatum Milonis, & Clodii: illius in rheda confidentis, ac penulati; hujus in equo, & cum delectis, villa egredientis, ac pugnantis e loco superiore*, & quae sequuntur.

Quod si simplicior dilutiorque fuerit descriptio, HYPOTYPOSIS vocatur: ut haec Maronis, Aen. v. 426.

Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.

Sed vulgo diatyposis, & hypotyposis, pro eodem schemate habentur.

Cap. 17. EICON, sive *imago*, est assimilatio protasi & apodosi carens, facta per vocem *similis, velut, tanquam, instar, quasi*, aut aliam hujus generis.

ris. Virg. Aen. i. 593. *Os humeroſque Deo ſimilis.* Cicero in Vatin. *Repente enim te, tanquam ſerpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intuliſti.*

PARADEIGMA, ſive *exemplum*, eſt, cum factum, ſive actus aliquis commemoratur, ut eo oſtendatur aliquem vel ſimile facturum, vel facere debere: ut, *Periculum eſt, ne, quemadmodum Marii & Syllae diſſidium, ita Pompeii & Caeſaris laceret rempublicam.*

PARABOLE, ſive *comparatio*, eſt, cum ad illuſtrandum id, de quo ſermo eſt, petitur ſimilitudo ab iis, quae fuere, fiunt, aut natura, caſuve rebus inſunt.

Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim, Virg. Aen. ii. 223.

SYMBOLE, ſive *collocatio*, eſt, quando ſubſtantiam cum ſubſtantia, aut accidens cum accidente conferimus;

rimus; ut ex oppoſitione hac pateat, quantopere conveniant, aut differant: ut, *Si conferas Alexandrum & Caeſarem, oleam & vitem.*

Cap. 18. PARADIASTOLE, Latine *ſejunctio*, eſt, cum diſtinguuntur ea, quae vim habere eandem videntur: ut, *Non ſapiens, ſed aſtutus. Premitur virtus, non opprimitur.*

ANTIMETABOLE, ſive *commutatio*, vocatur, quando eſt contrarietas ſenſus cum verborum immutatione: ut, *Eripis, ut perdas; perdis, ut eripias. Eſſe oportet, ut vivas; non vivere, ut edas.*

ANTITHETON eſt ex contrariis conſtans oratio: ut Virgil. Aen. vii. 312.

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

OXYMORON eſt, cum idem negatur de ſeipſo. Ter. Eun. iv. 4. 54. *Tu, pol, ſi ſapis, quod ſcis, neſcis. Cum tacent, clamant*, Cic. i. Catil.

Cap. 19. PARECBASIS, ſive *digreſſio*, eſt alicujus rei, quae tamen ad utilitatem cauſſae pertineat, extra ordinem

nem excurrens tractatio. Qualis illa Cic. *De laudibus Cn. Pompeii*, in orat. pro Balbo.

EPANODOS est ad propositum reditus. Cic. De orat. ii. *Sed ut eo revertatur, unde haec declinavit oratio.*

EPIPHONEMA, sive *acclamatio*, est, cum rei narratae, aut probatae, velut coronis adjicitur pronunciatum ex superioribus expressum: ut, *Adeo a teneris assuescere multum est*, Virg. Georg. ii. 272.

AUXESIS est, cum utimur verbo excedente rei magnitudinem: ut apud Ter. *Sacrilega* & *venefica* pro *improba*, *scelus* pro *errato*. Cap. 20.

TAPEINOSIS est, sive MEIOSIS, cum verbo humiliore, quam pro re, utimur: ut, cum *attigisse* eum dicimus, qui *vulneravit*; sic, *erratum* pro *scelere*, *severus* pro *crudeli*.

PARALEPSIS est, cum praeterire nos velle dicimus, quod interim in transcursu dicimus. Cic. pro Cluent. *Mitto illam primam libidinis injuriam,*

mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam.

INCREMENTUM est, cum velut gradibus quibusdam pervenitur ad summum, ut, *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?* Cic. pro Rabir.

PERIPHRASIS est, qua rem unam multis ambimus verbis: ut, *Romanae eloquentiae parens* pro *Cicerone*. Item, *Ire ad requisita naturae*, Sallust. in Jugurth.

Cap. 21. ECPHONESIS, sive *exclamatio*, est oratio, in qua interjectio expressa, aut intellecta, indicat animi affectum. Unde & pronunciatio intenditur ad significandam rei magnitudinem: ut Cic. pro Marcell. *O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, literis, monumentisque decorandam!* Id. in Pison. *O scelus! o pestis! o labes!*

APORIA, sive *dubitatio*, est, cum dicimus nescire nos, quid dicere,

cere, vel agere debeamus. Cic. pro Ligar. *Itaque, quo me vertam, neſcio.* Virg. Aen. iii. 39. *Eloquar, an ſileam?*

Epanorthosis, ſive *correctio*, eſt, quae tollit id, quod dictum eſt; & pro eo, quod magis idoneum videtur, reponit. Cic. pro Mil. *Quas ille leges, ſi modo leges nominandae, ac non faces urbis, & peſtes reipublicae.*

Aposiopesis, ſive *reticentia*, eſt, cum ita abrumpitur oratio, ut vix appareat, quid dicturus quis fuerit. Virg. Aen. i. 135. *Quos ego: ſed motos praeſtat componere fluctus.*

Sermocinatio proprie eſt, cum ſermo affingitur perſonae, quae praeſentis ſit inſtituti. Cujuſmodi ſunt *orationes* multae apud hiſtoricos, & poetas.

Prosopopoeia, ſive *perſonae effictio*, eſt, cum rebus mutis ſermonem tribuimus; aut vita defunctos, tanquam vivos; aut abſentes etiam, tanquam praeſentes, loquentes inducimus. Sic apud Cic. pro Cael. *Appius Caecus*

excitatur, ad Clodiam ob libidinem objurgandam.

EROTEMA, ſeu *interrogatio*, eſt, quando, ubi recta oratione uti liceat, ſermonem inflectimus. Virg. Ecl. iii. 17.

Nonne ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis?

APOSTROPHE eſt, cum ſermonem alio avertimus, quam inſtituta oratio requirit: ut Cic. pro Milon. *Vos enim, Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque obteſtor.* Virgil. Aen. i. 12. *Muſa, mihi cauſſas memora.*

Atque haec de figuris, quibus inventio exornatur.

Cap. 22. Sequuntur, quae ornant diſpoſitionem.

METABASIS, ſive *tranſitio*, eſt, quum inſeritur aliquid orationi, ut ab eo, quod diximus, tranſgrediamur ad illud, quod ſupereſt: ut Cic. pro lege Manil. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Virg. Georg. ii. 1.

Hacte-

Hactenus arvorum cultus, & ſydera coeli;
Nunc te, Bacche, canam.

APODIOXIS, ſive *rejectio*, eſt, cum aliquid in alium locum, vel tempus rejicitur. Cic. pro lege Manil. *Sed de Lucullo dicam alio loco*, &c.

REVOCATIO eſt, cum, quia longiores aliqua in re fuerimus, orationem ad principium revocamus: ut, *Hac de re quid attinet dicere? erit alias opportunior dicendi locus.*

De tropis & figuris vidimus.

COMPOSITIO eſt idonea verborum, ſententiarumque ſtructura. Lib. 5. Cap. 1.

Complectitur ea juncturam, ordinem, periodum, & numerum. § 2.

JUNCTURA praeſtat, ut oratio ſit lenis & mollis, aut ſonora ac grandis. § 3.

Atque hic praecipitur, ut caveatur crebra vocalium concurſio; ejuſdem literae, vel ſyllabae, in initio, aut fine frequentatio; continuatio plurium ſyllabarum brevium, vel longarum.

§ 15. ORDO exigit, ne inconcinna fiat verborum trajectio: item, ut creſcat oratio, nec graviori id, quod levius eſt, ſubjiciamus: item, ne turbetur naturalis ordo, eoque potius dicamus *viros ac foeminas, diem ac noctem, ortum & occaſum*; quam ordine inverſo.

Cap. 2. PERIODUS, juxta Ciceronem, eſt oratio in quodam quaſi orbe incluſa procurrens, quoad inſiſtat in abſoluta ſententia.

Eſtque vel ſimplex, vel duorum, vel trium, vel ad ſummum quatuor membrorum. Qualis illa pro Caecina: *Si quantum in agro lociſque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque judiciis impudentia valeret; non minus in cauſſa cederet Aulus Caeſina Sexti Aebutii impudentiae, quam tum in vi facienda ceſſit audaciae.*

Periodi partes aliae ſunt majores, quae Graecis κῶλα, Latinis *membra* dicuntur; aliae minores, quae Graecis κόμματα, Latinis vocantur *inciſa*.

Sed, contra quam apud grammaticos fit, ſi comma fuerit longum, ut ſi ſeptem ſyllabas excedat, colon nominatur;

minatur; & colon, ſi fuerit breve, ut ſi minus ſit quam ſeptem ſyllabarum, commatis nomen accipit.

NUMERUS Ciceroni eſt modus quidam orationis, qui e permiſtis & confuſis pedibus, & temporum, quibus conſtant, apta ratione naſcitur. Cap. 3.

Numerus hic diverſus eſt a poetico, a quo abhorret orator. Ac multum obſervatur in principiis, minus in mediis, potiſſimum vero in clauſulis.

Adhibetur autem hic aurium judicium, ſed praeſtantium oratorum lectione firmatum.

Atque ut negligentia, ita cura nimis anxia vitanda eſt.

Quae hactenus diximus, univerſe reſpiciunt elocutionem. Cap. 4.

Nunc videamus, ut ea variet pro materia diverſa.

Eſt enim triplex dicendi CHARACTER; magnificus ſive ſublimis, humilis ſive tenuis, & mediocris ſive aequabilis. § 2.

SUBLIME dicendi genus potiſſimum locum habet in rebus magnis: § 3.

ut,

ut, *De Deo ac repub.* unde in rebus heroicis, ac tragicis praecipue adhibetur.

Conſtat gravium & ſublimium verborum ampla atque ornata ſtructura. Metaphoras petit a rebus grandibus. Schemata adhibet vehementiora: ut, exclamationes, proſopopoeias, apoſtrophas. Affectibus ciendis idoneum eſt.

Vitium ejus eſt, ſi turgidum ſit & inflatum, vel inſolentia horridum.

Cap. 5. § 1. Contra, HUMILE genus convenit rebus tenuibus. Ac contentum eſt verborum proprietate, metaphoris uſitatis, item acumine, ac lepore. Sententiarum figuras parcius uſurpat; abſtinet amplificationibus, inſignioribus numeris, & periodis accuratioribus.

Praecipue adhibetur in epiſtolis, & diſputationibus philoſophicis.

Videndum autem, ne neglectu nimio fiat jejunum & exſangue.

§ 10. Genus MEDIUM, ſeu mediocre, in rebus mediis uſurpatur. Eſtque humilius ſublimi, ſed ſublimius humili; eoque

eoque nec vehementiora illa ſchemata amat, nec infimam ſequitur dicendi rationem.

Hic imprimis conveniunt paria paribus, contraria contrariis reddita, & caſus in exitu ſimiles, & hujus generis alia.

Vitium ejus eſt fluctuans & incertum; quomodo vocatur, ſi nunc humile genus fugiens nimis aſſurgat, nunc tumidum atque inflatum vitans humi ſerpat.

Hactenus de elocutione.

Supereſt poſtrema rhetoricae pars, quae eſt

De Pronunciatione.

Pronunciatio, ſive Actio, eſt vocis geſtuumque pro rebus & verbis apta conformatio. Cap. 8.

Ejus quaſi fundamentum eſt Memoria, qua res jam inventas, diſpoſitas, & exornatas firmiter animo comprehendimus. § 3.

Partes pronunciationis ſunt duae; una vocem format, altera corporis motum. § 7.

tum. A priori munere haec pars pronunciatio, a posteriori actio vocatur. Quarum tanta est vis in eloquentia, ut iis primas, secundas, tertias tribuerit Demosthenes.